

que nonnihil expressit in crure longiore. Scilicet neutra columna aquea, $b a$ vel $b c$, in se spectata subjectum sibi Mercurium naturâ ponderosiorum atque insuper ab incumbente externo aëre nimium quantum oneratum loco movere sibi que exitum parare potest. Interea tamen, quia columna $b c$, utpote altior ac ponderosior, argentum vivum in vasculo c magis deprimit & externo aëri magis resistit, quam brevior $a b$ resistit suo hydrargyro & aëri huic incumbenti; hic ipse aër in vasculum a validius agens aquæ cylindrum $a b$ tantisper cedere cogit & partem hydrargyri exiguam admittere, donec scilicet hæc, brevior quidem, sed ex aqua & hydrargyro composita, columna, cum altera longiore $b c$ ad æquipondium sit reducta.

Causa 8. &
9. Phæn.
item que
10.

CONCLUSIO VI. Quod pice mixta cera magis resistat effluxuræ aquæ, causa est procul dubio major exinde orta non tenacitas solum, quamdiu calidiore manu tractatur, sed major imprimis soliditas postquam refriguit; cum prior illa mixtura è cera & terebinthina mollior esset & aquæ ponderi facilius cederet. Quòd verò aquæ fluxus per hunc siphonem 30. pedd. notabiliter altiorem, non æquè succedat ac per humiliorem, eadem prorsus est cum illa, quæ in Conclus. III. Phænom. simili in hydrargyro erat accommodata. Scilicet externus aër non valet columnam aquæ AB , cuius pondus ipsius elaterem superat, sustentare in æquilibrio: multò minùs ergo eandem propellere sursum poterit, ut per flexuram A in crus oppositum AC porrò descendat: In casu decimi Phænomeni autem aër externus elaterio suo plùs valet, quàm pondus columnæ aqueæ brevioris HB ; hanc ergo sublevare & per flexuram in H jam applicatam pellere ulterius & per HC ejicere potest.

Causa 11.
Phæn.

CONCLUSIO VII. Denique, quòd aqua posteaquam semel cœperat fluere per siphonem recurvum AHC , illum fluxum postea non continuaverit, sed subitò substiterit, ex ipso Phænomeno manifesta ratio est. Aër enim paulatim alicubi